

Forfatter: Kierkegaard, Søren

Titel: Journalen CC : 1833

Citation: Kierkegaard, Søren: "Journalen CC : 1833", i Kierkegaard, Søren: *Søren Kierkegaards Skrifter, Bd. 17*, udg. af Niels Jørgen Cappelørn; Joakim Garff; Jette Knudsen; Johnny Kondrup; Alastair McKinnon, Søren Kierkegaard Forskningscenteret 2000 , s. 8v.
Onlineudgave fra Søren Kierkegaards Skrifter: <https://tekster.kb.dk/text/sks-cc-txt-shoot-n5.pdf> (tilgået 18. april 2024)

Anvendt udgave: Søren Kierkegaards Skrifter, Bd. 17

Ophavsret: Materialet er dedikeret til public domain. [Læs CC0-erklæringen](#)

CC:5

2 Thess.

Paulus et Silanus et Timotheus ecclesiae
Thessalonicensium in deo patre nostro et domino Jesu
Chr.: Gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino
Jesu Chr.:

Gratias agere deo semper debemus super vos
frat[er]es, ut decet, quod fides vestra incrementum
capit et augetur amor unius cujusque omnium
vestrum invicem, ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in
omnibus ecclesiis dei ob patientiam vestram et fidem
in omnibus persecutionibus[et] afflictionibus vestris,
quas perfertis, indicium justitiae dei iudicii, ut digni vos
habeamini regno dei, super quod etiam patimini. si
quidem justum est coram deo retribuere vos
affligentibus afflictum, et vobis afflictis relaxationem
nobiscum, in revelatione domini Jesu de coelo, cum
angelis potentiae ejus, in flama ignis, ultionem
infligentis illis, qui non cognoverunt deum, et qui non
obediverunt evangelio domini nostri Jesu Chr.: qui
poenas dabunt, interitum aeternum a facie domini et a
gloria potentiae ejus ubi venit glorificandus in sanctis
suis et admirationem moturus in omnibus
credentibus[us] (quia fides habita est testimonio nostro
apud vos - illo die. Propterea quod etiam rogamus
semper super vos, ut deus noster vos dignos reddat
vocatione, et impleat omnem benignitatem bonitatis
et opus fidei cum potentia, ut celebretur nomen
domini nostri inter vos et vos in illo, secundum
gratiam dei nostri et domini Jesu Chr.:

Cap. II.

Rogamus vero vos fratres ob praesentiam (adventum)
domini nostri Jesu Chr.: et nostrum introitum ad illum,
ne citius vos commoveamini a mente, neve
perturbemini, neque per spiritum neque per verbum,
neque per epistolam quasi a nobis, quasi nunc instet
dies domini. Ne quis vos decipiat ullo modo, quia, nisi
prius venerit defectio, et apparuerit homo peccati,
filius interitus, adversarius et extollens [se] super
omne, quod dicitur deus aut numen, ut ille in templo
dei ut deus sedeat, ostendens sese metipsum, quasi
esset deus. Nonne recordamini me cum adhuc essem
apud vos haec dixisse? Atque nunc, quid detineat,
scitis donec appareat ille suo tempore. Mysterium
enim iniquitatis jam operatur, solum tenens modo
donec e medio tollatur, et tum apparebit iniquus,
quem dominus Jesus extinguet spiritu oris sui et
finem faciet splendore praesentiae ejus - cujus est
praesentia, secundum efficaciam Satanis, in omni vi et
signis, et portentis mendacii, et in omni fraude
iniquitatis, in perditis, quod non ceperunt amorem

veritatis, ut illi salvi fierent. Et ob hoc mittet illis deus efficaciam fraudis, ut credant illi mendacio, ut judicentur omnes fidem non habentes veritati et oblectati sunt injustitia. Nos vero debemus semper gratias agere deo super vos, fratres a domino dilecti, quod eripuit vos deus ab initio ad salutem in sanctitate spiritus et fide veritatis; ad quod vocavit vos per evangelium nostrum ad comparandam gloriam domini nostri Jesu Chr: Fratres igitur sistite et retenete traditiones, in quibus edocti estis, sive per verbum sive per epistolam nostram. Ipse vero dominus noster J X. et deus et pater noster, qui adamavit nos et dedit consolationem æternam et spem bonam in gratia, consoletur corda vestra et confirmet vos in omni bene dicto et bene facto.

Cap. III

Ceterum, rogare fratres, de nobis, ut verbum domini currat (sine dubio per varias regiones propagetur) et celebretur, ut etiam apud vos, atque liberemur ab hominibus importunis et malis, neque enim omnium est fides. Fidelis vero est dominus, qui confirmabit vos et servabit a malo. persuasi vero sumus in domino vos, quæ vobis præcepimus, et facere et facturos. dominus vero dirigat corda vestra in amorem dei et in patientiam Xsti. Præcipimus vero vobis, fratres in nomine domini nostri Jesu Chr: ut avocetis vos ab omni fratre dissolute vivente, non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis, quomodo oporteat vos nos imitari. Quod non inordinate egimus inter vos, neque gratuitum panem comedimus apud quemquam, sed in labore et opera die et nocte operantes, ut ne cui oneri essemus. Non quo non habeamus potestatem, sed ut nos metipsos præbeamus vobis typum ut nos imitemini. Nam cum essemus apud vos hoc vobis præcepimus, ut, si quis non vult laborare, idem ne comedat. Audimus enim nonnullos inter vos dissolute ambulantes, nihil operantes sed supervacaneum facientes. Talibus præcipimus, et cohortamur per dominum nostrum Jesum Chr:, ut quiete operantes, suum panem comedant. Vos vero fratres ne defatigemini bene agendo. Si quis vero non obediat verbo nostro per epistolam hunc significate, et ne commisceamini illi, ut pudore suffunda[tu]r, (pudefiat), et ne adversarium habeatis illum sed admoneatis ut fratrem. Ipse vero dominus pacis det pacem semper quovis loco, dominus cum vobis omnibus.

Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola. ita scribo. Gratia domini nostri Jesu Chr: sit cum vobis omnibus